



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

II. An templa sint erigenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

contra Petrobrusianos, & auctor vitæ B. Bernardi lib. 3. cap. 5. Idem docuerunt postea Albigenes, vt Bernardus Lutzemburgensis in Catalogo refert. idem docuerunt VValdenses apud Claudium Coussordium libro contra VValdenses, capite 6. idem VViclefistæ apud Thomam VValdensem tomo 3. tit. 17. & 22. idem Taboritæ apud Æneam Syluium de origine Boëmorum, cap. 35. Idem Anabaptistæ Transyluani in antithesibus Christi veri, & Christi falsi, editis Albæ Iuliæ anno M. D. L X V I I I.

Porro Lutherani, & Caluinistæ admittunt templa, sed solum ad concionandum, & Sacramenta ministranda; reprehendunt autem quod fiant templa ad orandum, quod in honorem Sanctorum, quod consecrentur certo ritu, quod magnis sumptibus ornentur. Nam Magdeburgenses Centur. 4. cap. 6. col. 407. & sequentibus, multa dicunt cõtra ritus consecrandi Ecclesias, & in præfatione Centur. 6. reprehendunt Catholicos, quod ingentibus sumptibus fabricent Ecclesias, easque in Martyrum honorem.

Ioannes Caluinus præfat. Institut. reprehendit ornatum templorum ex auro, argento, serico, lapidibus preciosis, &c. & lib. 1. cap. 11. §. 13. ornamenta templorum solum esse vellet concionem, & Sacramenta, lib. 3. cap. 20. §. 30. dicit templa quidem erigi debere ad communes preces fundendas, sed non esse putandum vllam inesse templo sanctitatem, vt à aperte indicat, priuatas preces non fieri vllò modo melius in templo, quam alibi.

CAPVT II.

Antempla sint erigenda.

QVI templa simpliciter erigi nolunt, nihil pro se afferre possunt, nisi Scripturas illas, quæ Deum dicunt non habitare in locis manufactis, vt Matt. 5. *Cælum Dei sedes est, terra autem scabellum pedum eius.* Et Act. 7. *Sed excelsus non in manufactis templis habitabat.* Et Act. 17. *Nec in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur.* Hinc enim Manichæi (vt testatur Augustinus libro contra Adimantum, cap. 10.) probabant Deum

SSSSs 4

Testa-

Testamenti veteris, qui iusserat sibi ædificari tabernaculum, & templum, non esse verum Deum, sed malum principium, & pugnare cum Deo Testamenti noui. Sed refellitur elegantissimè ibidem ab Augustino; nam Manichæi dicebant, Deum Testamenti veteris voluisse templa: Deum Testamenti noui non voluisse.

At è contrario legimus in Testamento veteri, Isaiæ 66. dicentem Deum: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, & quam domum adificabitis mihi?* contra in Testamento nouo, Ioan. 2. dicentem Christum de templo manufacto: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Et Matth. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Deus igitur vnus, & idem in vtroque Testamento approbat templa, in quibus adoratur, & non approbat templa, quibus putetur includi: quomodo idola, id est, Dij Gentium verè in templis continebantur, nec inde poterant exire, nisi qui eos affixerant parietibus, inde detrahere, & asportare vellent. sed de hoc plura in cap. 4.

CAPVT III.

De forma.

DE forma Ecclesiarum Christianarum non est quod multa dicamus, cum adhuc antiquissima Ecclesiæ visantur. Duo tamen notanda sunt. **VNUM**, ad similitudinem templi Salomonis, in quo erat atrium, sancta, & sancta Sanctorum, Ecclesiæ ferè omnes habuisse tres partes. Primò porticus ante ingressum in templum, quem locum Græci *πρόσθαυον*, nostri vestibulum dicunt: vbi manebant pœnitentes. Deinde erat *ἱερόν*, id est, templum, siue naus. Vltimò *ἐπίθυρα*, siue *ισεῖον*, hoc est, sacrarium, siue sanctuarium, siue adyta, quæ erat pars interior templi, vbi erat altare, quæque diuisa erat à reliquo templo gradibus, cancellis, & velis, siue aulæis: neque eò penetrabant alij, quàm sacerdotes cum suis ministris clericis.

Præter